

illius participatione fiant & ipsi gloriosi. Cumque verba non futuri, sed præsentis temporis, (*intuentes transformamur*) hic legantur; videtur id, quod per verba innuitur, non ad futurum post hanc vitam differri, sed tanquam in hac vita obtinens, ac fidelibus jam actu collatum indicari.

XXXII. Verum & hoc, quicquid est, lubricum ac nullius roboris apparet, si recte attendamus. Non enim hoc loco dicitur, fideles faciem Dei relectam videre; sed Paulus de se & sui similibus dicit: ἡμεῖς δὲ πάντες ἀνακεκαλημμένω προσώπω δόξαν κυρίου κατοπτρίζομενοι &c. ubi dispiciendum est, (1.) quodnam & cuius sit illud πρόσωπον? ipsiusne Pauli & sui similibus? an alterius & cuius? (2.) quod sensu πρόσωπον illud, aut illa *facies relecta* dicatur? & (3.) quid sit illud κατοπτρίζεσθαι? anne idem, quod βλέπειν δι' ἐσόπτρου aut κατόπτρου; *videre per speculum*, aut tanquam in speculo? an idem, quod recipere lucem, aut imaginem quamquam tanquam in speculo, eamque repræsentare aut refundere?

XXXIII. Non fert ratio instituti, ut multiplices diversorum auctorum interpretationes hic recenseamus. Hoc certum est, verba illa a Paulo prolata esse in respectu ad id, quod prius vers. 7. & 13. dixerat de *facie Moysi, in quam filii Israël non potuerint oculos intendere, propter gloriam vultus eius; cui etiam faciei suæ Moses imposuerit velamen.* vers. 14. & seqq. autem de *velamine cordibus Judæorum impositio*, quo fiat, ut Judæi non intelligant, finem legis & complementum veterum typorum ac vaticiniorum esse Jesum Christum, ac tamdiu velati, servorum instar, maneat, donec convertantur, & *velamen a cordibus illorum tollatur* &c. Talem autem non esse rationem fidelium N. T. Sed hic, ait, *Deus qui jussit e tenebris lucem illucescere, luxit in cordibus nostris, ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei in facie Jesu Christi: quod extat Cap. IV, 6. quibus alluditur ad præcedentia atque ultima Capitis III. verba: quemadmodum & illud eo respicit, quod Cap. IV, 3. & 4. dicitur: Quodsi adhuc velatum est Evangelium nostrum, in his, qui pereunt, velatum est; in quibus Deus hujus sæculi excæcavit sensus incredulorum, ne illuſceret illis lumen Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei: Oponit ergo Paulus (1.)*
D
faci-